CVIVSDAM EPISTOLAE TRANSVMPTVM, QVAM TOLOSANVS CONVENTVS ORDINIS PRÆDICATORVM SCRIPSIT CARMELITIS DISCALCEATIS COLLEGII SALMANTICENSIS.

REVERENDIS ADMODVM PATRIBVS Lectoribus Sacræ Theologiæ in Collegio Salmanticenſi Diſcalceatorumfratrum Ordinis de Monte Carmeli.

Religioſiſsimi,& doctiſsimi Patres dum vniuerſus Orbis Chriſtianus vobis,ſibique de veſtra eruditione vti iam olim de profeſsionis ſanctitate, &conuerſationis exẽplo gratulatur;maximumque agnoſcit præſidiũ, ſibi, & ornamentum vtroque pietatis, & ſapientiæ ſtudio, quod facilíſsimè iungitis comparari. Dum libros veſtros de rebus Philoſophicis,aut Theologicis iam editos auidiſsime excipit,edendos cupidiſsime expectat;atque ſuo fauore, & applauſu vos ſponte currentes ad totiùs operis Theologici metam incitat:nefas ſanè putauimus inter tot laudes,votaque communia veſtri operis, quibus nullus pœne locus vacat; nos vel vnos ad quos tamen res ipſa maximè ſpectat ſilere,negare ſufffragium, animique ſenſus, ac deſideria reticere. Equidem dum ſanctiſsimum Thomam illuſtrandũ,propugnandumque ſuſcipitis:non dubium eſt quin totiùs Eccleſiæ cauſam agatis,cuius ille ſit Decus, ac Columẽ:ac proinde quod nulli pio labor veſter,quàm maximè probari,expetique non poſsit:attamẽ præter has comunes nobis cũ quouis boni publici,& veritatis ſtudioſo rationes,quæ ſilentium noſtrum poſsint abrrumpere; propriæ nobis, ac ſingulariſsimæ ſupetũt,quæ id officij, nec ommittere,nec longius differre ſinunt. Hic ſanè maximus veſtri laboris fructus, hæc laus, vt exiſtimo,præcipua eſt:quod de his omnibus ſitis optimè meriti, qui aliquid ſanctiſsimo,& communi Magiſtro debere ſe fatentur,quibus doctrina ipſius probatur,vel gloria cordi eſt. Inter hos doctrinæ, & nominis ipſius ſtudioſos, cum nos ſine cõtrouerſia primi ſimus,quippe qui non ſolum litterarum amantes,Religionis Chriſtianæ,& Dominicani Ordinis profeſſores(ad quos omnes diuerſo in gradu res iſta pertinet)ſed etiam eiuſdem ſanctiſsimi Doctoris cuſtodes ſimus, & priuato titulo clientes,quodque omnium inuidia dignum eſt præſentem habeamus,ac veneremur:fatendum eſt nos etiam plus cæteris

vobis

vobis debere: quidquid enim alijs in hoc beneficio proprium est, nobis commune censemus; quidquid nobis proprium, nullis commune. Si enim tota Respublica literaria, perpetuum illius doctrinæ commentarium vobis debet, sine quo vix probe intelligi: vti sine ipsa nemo doctus possit existere: si de Religione Christiana optimè meriti estis, quod Ecclesiæ Doctorem ad verum, genuinumque sensum, quo fides maximè alitur, & augetur interpretati sitis; si totam denique Prædicatorum familiam multis vltro, citroque collatis, acceptisque beneficijs deuinctam nouo, firmissimoque vinculo adstrinxistis, his nempè libris, quos merito ipsius gloriæ, idest, sanctissimi Doctoris Vindicias quis appellarit: horum omnium nos etiã participes simus; & illa seu studiosorum commoda, seu Ecclesiæ, & totius familiæ nostræ ornamenta vobis accepta referimus, non communi tãtum grati animi sensu, sed singulari eoque maiori affectu, quo nos sanctissimi Doctoris gloriæ cæteris mortalibus studiosiores esse oportet, quem vt communem Magistrum, & priuatum Tutelarem genium veneramur, ac colimus. Cuius etiam præsentia fruimur, tantoque nos cæteris hominibus superiores credimus, quanto alijs partibus inferiores. Nobis igitur tanti Doctoris discipulis, tantique Patroni clientibus grauissima videbatur quorumdam audacia, multoq; intolerabilior aliorum dolus, & fraus, quorum illi verissimas sancti Doctoris sententias totis viribus aperte refellere, isti verò dolo, ac veluti cuniculis actis subrruere, ac falso, fucatoque interpretandi genere corrumpere nitebantur; pessimum sanè genus hostium, qui simulata amicitia grauius nocent, quam bellum professi. Hos verô vel apertos, vel simulatos hostes multi è nostris debellarunt; vindicata validissimè, ab eorum argumentis, & artibus impetu, ac fraude doctrina Thomistica. Sed hoc sæculum, vti præteritis, aliorum vitiorũ, ita huius mali ferocius est: itaque quotidie refractæ vires inualescunt, artesque falsorum interpretum, ac plagiariorum innouantur, noua commentariorum genera digna tenebris in lucem prodeũt, quibus (quod prodigio simile est) Author ipse traducitur, magis quàm illustratur: mẽs eius aut aperte refellitur, aut clam, & subdole corrumpitur. Sed si nouo aucta subsidio vires, atque animum resumit fraus, & audacia, lætamur nouos veritati, & doctrinę Thomisticæ milites, ac duces accedere qui viribus aduersarijs non impares vincant bonitate causæ. Licèt verò è nostris plurimi eorũ impetus repressissent, aut detexissent insidias; nescio tamen quo tandem fato eorum ausibus fortuna fauet; causam eorum progressus similem illi existimo, qua errores plerumque serpere solent; quod libros suos diligentissimè spargerent, omnibusque opportune, vel importune ingererent: nostri verò minus familiares essent, minusque fidem facerent apud quosdam qui sibi hoc falso persuaserunt, nos in eas interpretationes, & sententias Diui Thomæ, quas genuinas esse credimus, necessitate quadam, ac

vi

vi nostrarum legum adigi, nec nostro, sed antiquorum Patrum sensu, à quo discedere nefas esset duci. Sed hos veluti obices, qui veræ doctrinę incrementa retardabant, vos patres efregistis his libris, quibus quidquid solidi ac veri doctrinæ Thomisticæ assertores scripsere, mira breuitate, facili methodo collegistis; ne antiquis lucem illo ordine addidisse satis fuit, multa etiam magno labore quæsita, & fœlici inuenta ingenio illuc coniecistis; ita tamen vt veteres sententias nouis illis inuentis non euertere, vt moderni solent, sed astruere conati sitis: mens vobis prorsus eadem cum antiquis Thomistis; diuersitas siqua sit, ea in methodo, ac rationum numero sita est; plures enim acute excogitastis, quas tamen fere semper ex illa scientiarum abysso sanctissimo Doctore erutas esse ostenditis: vbi frequēter modestiam vestram mirari subit, sicut quorumdam vanitatem, qui gloriam se non posse adipisci putant, nisi aliena, vel pro suis venditent, vel suis inuentis, si quæ sint, refellant. Vos verò, ea quibus merito gloriari possetis, communi Magistro accepta refertis; & quidquid rectè, ac subtiliter à vobis dicitur, ab eo qui nihil nesciebat, multo ante dictum esse vultis: vt in eius scientiam id merito conuenire vestra industria manifestum sit, quod Psalmista canit: Mirabilis facta est sciētia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam. Multum in eius indaginε Patres nostri laborarunt, nec frustra; plurima enim inde sci tu dignissima deprompserūt; sic tamē vt ijs multo plura posteris inde eruenda, tanquā ab in exhausto fonte relinquerent; vos eos secuti aperte ostenditis quæ hactenus in eam dicta fuerant minimam eorum quæ ibi latent, ac dici possunt partem esse. Vestris ergo laboribus, ac vigilijs; præterquod maxima ad sancti Thomę gloriam facta est accesio; submota sunt obstacula, quibus veritas Thomistica prępediebatur, ne libero pede curreret; neque enim diuersa multorum authorum, aut comparanda erunt, aut legenda volumina (quod paucis, vel propter inopiam, vel ob nimium laborem contingebat) vt totius doctrinæ Thomisticæ notitia, ac defensio habeatur; ad hæc enim his, quibus omnia nec vacat legere satis superque (etiam si cætera desint) vestri libri erunt, qui paucis multa, ac pœne omnia complectuntur; vnde cum parabiles, ac lectu faciles sint, atque ab ingentibus expensis, ac laboribus rediman t, pasim distrahentur, omniumque manibus diu, ac noctu terentur, nec quisquam se eorum vsu, ac lectione fraudari patietur. Vnde maxima veritati, idest doctrinæ Thomisticæ, lux accedet, fidesque astruetur, præsertim cum à vobis longe absit illius rei suspicio, quam nostris alij falso affingunt, quod in sententias Scholæ nostræ necessitate quadam, ac partium studio eamus. Quod licet omnino falsum sit, non ita tamen aperte, vt in vobis verum, qui ne minima quidē suspicione, apud cordatos viros laborare possitis, cum nullo impetu, nulla necessitate obreptos in castra nostra venisse constet apud omnes, qui vos omni humano affectu inta-

intactos,aut maiores esse agnoscunt;sed solius veritatis amore ; quã illa Theodidata Virgo Mater vestra diuinitus sicut plurima alia accepit,monuitque filios suos apud sanctissimum Doctorem,veterẽmque familiam ipsius(quam Princeps ille veritatis Ordinem appellabat)residere;vnde sedem locumque vobis veluti digito monstrauit, vbi quæri oporteret. Illa se Theologiæ misticæ natis suis Magistram ac Ducem præbuerat;noluit Scholasticæ præceptorẽ deesse, itaque sanctissimum Doctorem indigitauit,ac dedit;præclare profecto,nec potuit sapientius filiorum saluti,ac gloriæ Mater prudentissima in omnem partem consulere. Quid enim ad Religionis præsidium tutius?quid præclarius ad ornamentum?quam vtriusque sapiẽtiæ, qua tota salus,ac perfectio continetur duces sequi, qui primas sine controuersia obtinerent?Vti enim Theologiæ Scholasticæ Thomas, ita Misticæ Theresia Princeps habetur:hos itaque duces sectamini,hæc duo vobis exempla perpetuo ob oculos versantur,quæ adviuum moribus,ac scientia exprimitis.Itaque vt ingenue fateamur quod sentimus,licet multi pietate , aut scientia vobiscum fortase contendere possint;sic tamen ambæ in vobis eminent, vt paucos in vtraque pares,nullos ex Ecclesia Catholica superiores habeatis.Hoc sapientiæ Matris,& Thomæ debere vos agnoscitis:qui,sic vos imbuunt,sic informant,vt Religiosæ perfectionis,ac scientię studiosis exemplo esse possitis,alijs omnibus admirationi, tot tantisque bonis incrementa & perennitatem optamus. Tolosæ in Conuentu sancti Thomæ Ordinis Prædicatorum die 2.Maij Anno 1634.

Religiosissimi,& doctissimi Patres.
Confratres vestri,& in Christo serui.

Fr.Guillelmus Matthæus humilis Prior Ordinis Prædicatorum.

Fr.Antonius Aluarus Suprior.

Fr.Vincentius Vsaronius Lector Theologiæ.

Fr.V.Iammei Lector Theologiæ.

Fr.Antonius Reginaldus Lector Philosophiæ.